



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De
Expedita Ad Dei Amorem Via**

Comalada, Miguel

Elvaci, 1685

Cap. III. De Eodem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60062)

non tam mercedis, quam ab eo ex-
pecto, contemplatione, quam ex
amore. quo illum prosequor, ita
me gero.

De Eodem.

CAPUT III.

Mirabatur ista secum Desiderius,
atque impendio illi placebat,
quod pastor cuncta ex amore ageret;
aitque ad eum: Quandoquidem
frater mi in campo hoc potissimum
versaris, possesne aliquo indicio
certiorem me reddere de equite quo-
dam, qui solus huc illucque vaga-
tur, eò quod è suis sedibus ejectus
sit, nolintque eum subditi sui agno-
scere aut recipere, atque ea ex causa
explorat & perquirat, si quem of-
fendat usquam, qui ipsum suscipere
velit, & apud quem demorari pos-
sit? PASTOR. Ecquod hujus equi-
tis vocabulum est? DESIDERIUS.

Amor

Amor DEI. PASTOR. Novi sanè
 ubi demoretur. Quòd si oviculas
 meas perinde ut ego, pascere nòsles,
 cordèque & animo ad eas pascendas
 firmo ac robusto satis fores, jam te
 ad ipsum perducerem, ne deinceps
 ut antea, illius perquirendi causa,
 errabundus ultrò citròque discurrere
 cogereris. Amat namque pastores,
 & libenter apud illos versatur. Et
 licet præclarus ac nobilis sit eques,
 tamen pastoris filius est. Atqui pla-
 nè animadverto, hominem te esse,
 delicatum, ac teneræ habitudinis
 sive complexionis, neque toti gre-
 gi huic servando unum te sufficere,
 neque per hanc solitudinem cum
 oviculis ingredi posse. Unde ne-
 cesse est, ut aliud arripias iter. DE-
 SIDERIUS. Quod me vis iter, bone
 Pater, arripere? PASTOR. Per
 hanc pergendum tibi est solitudi-
 nem, invenièsque haud ita procul
 insignes ædes, in quibus nonnisi
 virgines degunt, ex quibus de hoc
 equi-

equite poteris certior fieri. Eamque ingenij ac naturæ amabilitate, suavitate ac probitate præditus est, ut ad quoslibet sese adjungat. Satis isthæc dicta arridebant Desiderio, maxime quòd reperiendi Amoris D E I spem illi præberet, aitque ad illum : DESIDERIUS. Obsecro frater, ut quâ pergendum sit, me edoceas, ne de via per errorem decedam. PASTOR. Non licet mihi oves deserere ; at tamen commodum itineris socium tibi adhibebo, quo comite, faventibus superis, poteris rectâ gradi viâ. En canem istum tecum ducito. DESIDERIUS. Quî vocatur? PASTOR. Bona voluntas. DESIDERIUS. Vale mi frater. PASTOR. Et tu itidem rectè valeas, prosperoq; utaris itinere.



De